6

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

RHEUMATISMO ACUTO;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, SS.T.P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI Consensu;

Et NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE Decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

GEORGIUS HUNGERFORD,

HIBERNUS,

SOCIET. REG. PHYS. EDIN. SOC.

Ad diem 12. Sept. horâ locoque solitis.

Principiis obsta, sero medicina paratur. HOR.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT C. STEWART ET SOCII,

ACADEMIÆ TYPOGRAPHI.

M DCCC I.

Digitized by the Internet Archive
in 2020 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b31967073

ANDREAE DUNCAN, M.D.

INSTIT. MED. IN ACAD. EDINB.

PROFESSORI,

AUD MINUS OB SCIENTIAM MEDICAM,

QUAM IN OMNES BENEVOLENTIAM

(QUAE DIU CONCIVIBUS SUIS

AC HUMANO GENERI

UTILES SINT!)

CELEBERRIMO,

DISSERTATIONEM HANC,

EXIGUUM QUAMVIS SINCERUM

GRATI ANIMI TESTIMONIUM,

OB BENEFICIA MAXIMA

AB ILLO ACCEPTA,

D. D. D.

AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

RHEUMATISMO ACUTO.

AUCTORE GEORGIO HUNGERFORD.

RHEUMATISMUS ACUTUS a Culleno viro clariſſimo ſic definitur.

" Morbus ab externa, et plerumque evidente,
" cauſa; pyrexia; dolor circa articulos, muſcu-
" lorum tractum ſequens, genua et reliquos
" majores, potius quam pedum, vel manuum,
" articulos, infeſtans, calore externo auctus. "

HISTORIA MORBI.

Rheumatiſmus acutus eos, qui in regionibus frigidis habitant, ſæpiſſimè aggreditur; et illis tempeſtatibus, quando magnae ſubitaeque coeli mutationes occurrunt, praeſertim accidit; nam in plagis ubi frigus calorve intenſiora et diuturniora ſunt, rariùs apparet. Hic morbus tempore autumnali vernoque plerumque accidit; ſed nulli, prae caeteris, anni tempori proprius eſt. Rheumatiſmus utrumque ſexum, ſaepiùs autem muliebrem, adoritur. Unumquodque temperamentum hujus morbi acceſſioni patet: ſed ſanguineum, magis quam caetera, invadere ſolet. Impuberes et ſenes raró, morbo plectuntur; homines veró a pubertate ad annum vitae trigeſimum quintum, vel etiam quadrageſimum, plerumque infeſtat.

Rheumatiſmus ſolitis pyrexiae ſignis plerumque incipit. Aeger primo laſſitudine et lan-

guore

guore afficitur. Corporis extremitates pallefcunt et torpent. Senfus frigoris fecundum fpinam dorfi defcendit, et tandem cum horrore ad reliquum corpus propagatur. Haec figna brevi poftea excipiunt calor, fitis, inquietudo, anxietas in praecordiis, cibique cujufcunque faftidium. Lingua admodùm ficca, et albida, fit. Pulfus jam frequens, plenus, ac durus, refpiratio difficilis, eft. Febre ingravefcente, vultus rubefcit, atque cutis valdè arida fit; fupervenitque dolor capitis et vertigo. Cum figna pyrexiae diem unum alterumve perftiterint, variae corporis partes, praefertim articuli majores, humeri, fcilicet, genua, et haud rarò carpi, dolore acuto, afficiuntur. Manus, pedes, atque digiti rarò patiuntur. Dolores interdum in variis corporis partibus prius fentiuntur, quàm figna pyrexiae appareant.

In quibufdam Rheumatifmi exemplis, uni folùm parti adhaeret dolor; fed faepiùs plures fimul occupat: tamen unum artum, quàm caeteros, violentius cruciat. Dolor tractum mufculorum

culorum ſequens ab uno artu ad alium tranſit, et a muſculis in articulum laborantem agentibus multùm augetur.

Pyrexia, quae hunc morbum comitatur, unoquoque die ſub veſperem ingraveſcit; noctuque, quo tempore dolores augentur, vehementiſſima eſt.

Artubus aliquandiu dolore affectis ſuperveniunt tumor ruborque; et pars dolens omnia phlegmones genuinae indicia exhibet. Sudor partialis hunc morbum ferè comitatur; qui primo morbi ſtadio erumpit; ſed raro copioſus vel criticus eſt. Urina per totum morbi decurſum parca eſt et colorata. Morbi principio nullum ſedimenti deponit; ſed ſub ejus finem ſedimentum lateritium in vaſi imo demittitur. Quod quamvis accidit non ſemper criſis ſequitur; nam etiam poſtquam ſedimentum in urina apparuerit, morbus ſaepe diu perſtat. In Rheumatiſmo ſanguis tuni-

cam

cam coriaceam plerumque exhibet; alvuſque dura eſt.

Quamvis inflammatio violenta partis cujuſdam adſit, hic morbus rariſſimè ſuppuratione, nunquam forſan gangraena, vel ſcirrho terminatur; plerumque reſolutione finitur. Aliquando in vaginas tendinum effunditur liquor glutinoſus, pellucidus, qui ſenſu fluctuationis ſtipatur, quae facilè percipienda eſt: ſaepiſſimè tamen reſorbetur. Illuſtris Storcke exempla multa ſuppuratione terminata ſe vidiſſe affirmat: abſceſſus tamen aliquid peculiare habuiſſe videntur. Rheumatiſmus acutus in chronicum ſaepe deſinit; praeſertim cùm neglectus, vel malè curatus, ſit. Interdum, ſed rariùs, in Paralyſin tranſit. Sunt qui hunc morbum in ventriculum, aliaque viſcera interdum introverti, opinantur; ſed harum partium affectiones ad Podagram, quàm Rheumatiſmum, magis pertinere videntur. Raró exitio eſt. Si in hominibus phthiſicis accidit, ſaepe mortem ſecum adferre

adferre videtur; num verò res ita ſeſe habeat, necne, non liquidò conſtat.

CAUSAE REMOTAE.

Hae cauſae in praediſponentes, et occaſionales, vel excitantes, à medicis dividuntur; et Gregorius noſter, in elegantiſſimo ſuo libro De Medicina Theoretica eas ſic deſcribit.

" Cauſa *praediſponens* eſt illa quae corpus
" tantùm morbo opportunum reddit; ſcilicet
" ut, admotâ cauſâ excitante, in morbum inci-
" dat. "

" Cauſa demum *occaſionalis* vel *excitans* eſt
" ea quae, in corpore jam proclivi facto, mor-
" bum excitat. "

Cauſae praediſponentes Rheumatiſmi acuti variae ſunt. Homines ſanguineo, atque pleno corporis habitu praeditos ſaepiùs adoritur. Hoc

temperamentum

temperamentum ſcilicet plenum, inducunt otioſum vitae genus, diaeta lautior, atque nutriens, ſomnus nimis protractus, evacuationes ſolitae ſuppreſſae, ut perſpirationis, et menſium; unde mulieres, ſaepiùs quàm viri, hoc morbo affiiciuntur. Huc pertinet ſanguinis periodica detractio omiſſa, vel profluvia ſolita ceſſantia. Libido, omniaque ea quae corpus debilitant, homines ad hunc morbum magis proclives reddunt. Praeter has cauſas, morbis acutis corpori debilitato vel irritabili, ſupervenientibus, Rheumatiſmo obnoxium ſaepe redditur.

CAUSAE EXCITANTES.

Quoniam in iis terrae regionibus, et tempeſtatibus, ubi ſubitae et frequentes coeli mutationes occurrunt, potiſſimùm graſſatur Rheumatiſmus; viciſſitudines frigoris, et caloris, pro cauſis hujus excitantibus, habendas, manifeſtum eſt: nam in plagis, ubi frigus, calorve, intenſiora et diuturniora, ſunt, et in iis regionibus, in quibus

quibus vim ſuam praecipuè exſerunt, gelu diu perſtante, rariùs occurrere obſervatur. Hunc morbum praeterea inducit frigus ad corpus nimis applicatum; veluti veſtimenta humida, &c. praeſertim ſi corpus eodem tempore plus ſolito calidum ſit; nam tunc temporis ſyſtematis irritabilitas, admodùm augetur, et impreſſionibus a frigore corpori impertitis, magis obnoxia evadit.

CAUSA PROXIMA.

Quandam fluidorum conditionem, ut lentorem, ſeu ſanguinis viſciditatem, cauſam Rheumatiſmi acuti proximam nonnulli duxerunt. Alii a fluidorum acrimonia eam derivârunt. Has opiniones plenè refutavit Illuſtriſſimus Cullenus, qui opinatur, vaſorum extremorum ſpaſmum liberum ſanguinis curſum ita prohibere, ut vaſorum partis affectae actio, et ſanguinis impetus neceſſario multùm adaugeantur. Porrò, vires medicatrices naturae ad pyrexiam progredi,

gredi, quâ vaſorum conſtrictio ſanguiniſque congeſtio debellentur. Ad hoc, in Rheumatiſmo fibras muſculares praeter naturam rigidas fieri. Hæcce phaenomenorum explicatio maximè mihi arridet, et argumentationis vim ex emeticorum in febrilibus adminiſtratione valdè comprobatam judico, nam Corporis ſuperficies morbo arida et aſpera reddita, horum actione mollis et madida fit, *nempe*, remotione Spaſmi quo antea tenebatur.

DIAGNOSIS.

Morbi praecipui, quos inter et Rheumatiſmum acutum, ulla ferè intercedit ſimilitudo, ſunt Podagra, Lues venerea, et Scorbutus. Si autem ſigna horum propria attentè conſiderentur; diſcrimina vera, quae inter eos, et Rheumatiſmum, intercedunt, ſine magna difficultate reperientur. Rheumatiſmo acuto maximam ſimilitudinem habet Podagra; tamen ſatis facilè

discernendi sunt: nam in multis rebus minimè obscuris discrepant. Primum discrimen praebent causae unde proficiscantur. Rheumatismus ab externa et plerumque evidente causa, frigore, nempe et humiditate, oritur. Contrà, partium internarum praecipuè ventriculi, quaedam affectiones, ut concoctio prava, flatus, eructationes acidae, aliquando insipidae, cum variis functionum debilitatarum signis, morbum articularem praecedunt. Haec paroxysmo accedente evanescunt, et vigor insolitus functionibus universis diffunditur, tonusque totius systematis multùm adaugetur. Temperamentum plethoricum Rheumatismo praecipuè obnoxium est, et homines eo vitae stadio, in quo omnes functiones, tam animales, quam vitales, summo vigore fruuntur, hic morbus adoritur. Podagra, contrà, homines sanguineo temperamento praeditos, vel qui annum aetatis trigesimum non praeterierunt, rarò adoritur. Rheumatismus non periodicè revertitur. Podagra certos circuitos habet. Viros, et mulieres tentat Rheumatismus;

sed

ſed ſaepius poſteriores; hoc negligentiae earum tribuendum eſt, dum menſes fluunt; quo tempore ſyſtemata feminina a cauſis occaſionalibus facillimè afficiuntur. Sexus amabilis priuſquam menſtrua ceſſent, podagrae plerumque immunis eſt. Rheumatiſmus artus majores, rariſſimè minores, et ſaepiùs ſuperiores, quàm inferiores, occupat; et ab uno loco ad alium migrare mirum in modum propendet: ſed locum, unde dolor transfertur ad alium, minus levari; quàm in Podagra, memorabile eſt. Notatu quoque dignum videtur; Rheumatiſmum aliquando tam latè diffundi, ut aeger, quae pars maximè doleat, neſciat. Podagra contrà articulos minores, inferioreſque, adoritur; et ſaepe in uno loco, ut pollice pedis, ſedem figit. Eodem modo ac Podagra, ſuum locum mutat, articulum alterius lateris ſimilem petit; ſed Rheumatiſmus potiſſimum ad aliam corporis extremitatem tranſit.

LUES VENEREA.

Rheumatismum a Lue venerea, sic distinguere possumus; in Syphilitide in ossium solidissimorum centris plerumque sentiuntur dolores; scilicet in calvariae, juncturarum, propriis, ut tibia, et in iis quae nodis, et exostosi, saepe afficiuntur. Non ossa, sed ligamenta, et aponeuroses musculorum tendinosae, in Rheumatismo praecipuè tentantur. In lue venerea dolores sedem profundiorem habere videntur: alia signa praeterea naturam morbi planè monstrantia dolores plerumque comitantur, et aliquando praecedunt.

SCOR-

SCORBUTUS.

Maculae in partibus corporis variis, oris graveolentia, gingivae ſpongioſae ſanguinem à preſſura minima effundentes, et haemorrhagiae frequentes, Scorbutum, à Rheumatiſmo ſatis diſtinguunt.

PROGNOSIS.

Rheumatiſmum acutum raro lethalem eſſe, experientia ſatis docet: exempla tamen fuerunt, quae hunc morbum interdum exitium afferre, planè oſtendunt: ſed haec aliquo alio morbo immedicabili Phthiſi, nempe Typho, vel aliis affectionibus periculoſis, ſtipata ſunt. Rheumatiſmus acutus medicamentis non facilè cedit; et quum negligatur, vel imperitè tractetur, in chronicum ſaepe deſinit, Anchyloſin, vel Paralyſin

ſin immedicabilem. Quidam Rheumatiſmum aliquando infeſtare pulmonem, vel caput, atque ſic aegrum protinus de medio tolli, affirmant; ſuperveniente Apoplexiâ, vel Pneumoniâ. Sed haec exempla infauſta, potius ad Podagram pertinere videntur. Rheumatiſmus accedens facilè ſupprimitur; ſed per longum tempus indies ingraveſcit, praeſertim, ſi aeger multùm debilitatus, et morbus diu productus, fuerit; quibus in exemplis, ſententiam de morbi eventu, ferre cavendum eſt. Cum hominem aetatis florentis, vel alioquin ſanum, adoriatur, prognoſis fauſta, idoneis medicaminibus initio morbi adminiſtratis.

RATIO CURANDI.

Ex ſupra ſcriptis Rheumatiſmum acutum ad Phlegmaſias pertinere, ſatis conſtat; eo igitur urgente, proclivitas totius corporis ad inflammationem inſolita eſt, cum conſtrictione vaſorum

rum partium affectarum ſpaſmodica. Hinc conſilia curationis tria ſunt.

I. Impetum ſanguinis, tam in toto corpore. quam in partibus affectis, diminuere.

II. Conſtrictionem vaſorum ſpaſmodicam tollere.

III. Nimiam corporis totius mobilitatem compeſcere.

I. Ad conſilium primum abſolvendum, miſſio ſanguinis, et victus idoneus, omnibus aliis remediis longè antecellere videntur. Morbo igitur incipiente, ſanguis copioſè detrahendus. Quo amplior vena eſt, et citius ex ea fluit ſanguis, eo plus commodi accipit aegrotus. Apud omnes, qui exercent medicinam, convenit, uncias paucas, ſic miſſas, multo magis proficere, quàm quantitatem quadruplicem, lentè, et quaſi guttatim, fluentem. Horis duodecim elapſis, ſi pyrexia,

rexia, aliaque ſigna, adhuc urgeant, ad alteram detractionem confugiendum. Quoniam nulla norma certa dari poteſt; ſequentia ritè conſiderata, quoties ſanguinem, et quantum ejus, mittere oportet aliquantulum demonſtrabunt; pulſus, dolor, ſexus, temperamentum, vires, atque aegri plenitudo, uſum hujus evacuationis frequentiorem, vel rariorem indicant. Quamvis omnis miſſio ſanguinis ad hunc morbum ſublevandum adeo eſt proclivis; tamen ne juſto copioſius, et ſaepius, adhibeatur, cavendum; nam hujus exinanitionis uſus nimis diuturnus horrenda mala creare ſolet, ſummam nempe debilitatem, morbum hydropicum, Rheumatiſmum chronicum, &c. Cum tantum ſanguinis e venis emiſſum ſit, quantum ſufficiat, tum ad evacuationes topicales, haud ſine fructu decurrere poſſimus; quae corpori multo minus, quàm detractiones generales, nocere ſolent. Si rubor, et tumor partium laborantium adſunt, ſanguis ex his locis miſſus plurimùm prodeſt. Hoc

conſilio

consilio hirudines, et cucurbitulae cum ferro, partibus admotae, multùm juvant.

Medicamenta cathartica. Purgatio alvi, quippe quae corpus violenter deplet, primo intuitu, quam maximè convenire videtur; sed propter magnum dolorem motu concitatum, non benè respondet. Eodem tempore, necesse est alvum modicè solutam servare, ut nullum irritationis ab indurato stercore in Recto oriatur. Hoc facilè praestabunt, enemata refrigerantia, sales neutrales modicà quantitate sumpti, manna, pulpa tamarindorum, cassia, et similia.

Regimen antiphlogisticum. Hoc diligenter adhibendum est. Cibus ex regno animali petitus, qui magìs minúsve alkalescens, et stimulans est, nequaquam adhibendus. In cujus locum subeat diaeta vegetabilis. Latices omnes aromatici, spirituosi, et fermentati, vitandi sunt: et decoctum avenaceum, decoctum hordeaceum, &c. solummodo concedenda.

Refrigerantia. Haec primo confilio quoque accommodantur: horum acida utiliffima funt, et vegetabilia aliis antecellunt; praefertim fatis diluta, et fic in ventriculum recepta; nimium fanguinis impetum diminuunt; calorem fitimque compefcunt; alvum emolliunt; et urinam faepe movent.

Sales medii. Hi magnâ vi refrigeranti dotantur: motus cordis arteriarumque regulares, et tardiores reddunt: totum corpus frigidius efficiunt, fpafmum fuperficiei tollunt, et diaphorefin tenuem concitant. Impetu fanguinis ab his remediis minuto, quaenam ad alia confilia accommodentur nunc confiderabimus.

II. *Conftrictionem vaforum fpafmodicam tollere.* Huic confilio fudorifica maximè conveniunt. Evacuationibus fuprà praeceptis factis, et per has, aliaque remedia, quorum mentionem fecimus, diathefi phlogifticâ, vel ex toto fublatâ, vel minutâ; fudatio ad Rheumatifmum alleviandum

viandum accommodatiſſima invenitur. Tamen medicamentis minimè ſtimulantibus moveatur, et hoc tempore quam minimum caloris excitetur. Remedium tutiſſimum, et efficaciſſimum, eſt pulvis ipecacuanhae compoſitus, doſi gr. x. vel xii. adminiſtratus, et, ſi opus fuerit, tertià quaque horâ, repetendus, donec ſudor profluxerit. Medicamentum ſic adminiſtratum, nauſeam raró movet, et ferè ſemper, fomentis eodem tempore applicatis, ad extrema inferiora cauſâ relaxandi optatum effectum habet. Sudore provocato, julapii ſalini ℥ i. tertiâ quaque horâ, vel hauſtus diaphoreticus, cum aliquanto tincturae opii, omni nocte datâ, ſi neceſſe ſit, ad ſudorem movendum, et dolores levandos conferunt. Hoc modo ſudor viginti quatuor horas, pro re nata, ſervari poteſt; verum quamdiu ſervandus ſit, ab aegri circumſtantiis multùm pendet. Detur pulvis manè, quoniam et aegrotus et eum curantes noctu in ſomnum incidere ſolent; adeo ut potio ei ritè ſuppeditari nequeat, ſine qua ſudor fruſtrà provocatur.

Sudore

Sudore fluente, ingerantur diluentia omnia, praesertim quae minimè ſtimulant. Tegatur aeger induſio laneo.

Emetica. Plena vomitio non concitanda eſt, quod agitatio inde oriunda morbum graviorem efficere periclitatur. Doſibus, quae nauſeam leniſſimam faciant, tutò dari poſſint; nam ita adminiſtrata diaphoreſin movendo, ſigna febrilia compeſcunt; et plerumque alvum ſolutam ſervant. Antimonium tartarisatum omnibus medicamentis, quae talem edunt effectum, anteponendum eſt.

Antiſpaſmodica. Horum optimum eſt opium; ſed vi pyrexiae nondum ſublatâ, cautè adhibendum: adjunctum vino antimoniali, vel ipecacuanhae, potentiùs, efficaciúſque, agit, et ita tutò dari poſſit.

Epiſpaſtica. In hoc morbo epiſpaſtica multùm proſunt, ſi applicentur priuſquam ſigna

febrilia

febrilia increfcant; fed quando urget pyrexia, et vagantur dolores, parùm profunt.

III. *Nimiam corporis totius mobilitatem compefcere.* Quamvis neceffe eft confiliis duobus prioribus animum intendere, tertium fortaffe ad acutum Rheumatifmum penitus depellendum, et chronicum occurrendum maximè neceffarium eft. Cum duo confilia priora impleta fint; morbum ftatum fuum diuturniorem attigiffe, affirmari poteft; quoniam acceffionibus Rheumatifmi chronici multùm favet. Poftquam ad confilium primum, et fecundum, animum applicavimus; et tantum fanguinis detractionis, atque fudationis, adhibuimus, quantum fignorum febris remiffionem efficiat, et dolorem multùm levet, aegrotus nunc veftimenta induat, et lecto fuperincumbat, vel femet aliter a frigoris effectibus defendat. Sudatione finitâ, brevi poftea defcendat in frigidarium. In aquam fe praecipitem dejiciat. Si hoc ingratum fit, quivis alius lavandi modus adhiberi poteft; et

caput

caput humerique primùm madefacienda ſunt. Statim cum è frigidario emerſit, veſtimenta lanea induat. Si ad ſudorem proclivitas ſe oſtendit, modicè promovenda. Utatur aeger frigidario omni mane in novem decemve dies continuos. Cum commoda frigidae lavationis, hoc in exemplo, à viribus ejus tonicis, et aſtringentibus, et aliquanto fortaſſe poteſtatis ſedantis in vaſa ſuperficiei edito, proficiſcantur; aegrotum in frigidario per ſpatium duorum triumve horae minutorum, ſe continere oportet; plus minus prout vires, affectiones reſpirationis ſpaſmodicae, ſtatus pulſus, perferant.

A tempore, quo frigidarium adhibeatur, proderunt cinchona officinalis, aliaque tonica medicamenta. Et ſic, conſilium tertium atque poſtremum optimè implendum.

F I N I S.

EX TYPOGRAPHEO ACADEMICO.

CORRIGENDA.

In titulo — *Pro* medicina paratur. Hor. *lege* medicina paratur. Ovid.

Pag. 7. *lin.* 12. *pro* obnoxium ſæpe, *lege* obnoxium id ſæpe.

—— 8. — 8. *pro* a frigore corpori impertitis magis obnoxia, *lege* a frigore impertitis magis obnoxium corpus.

—— 9. — 6. *pro* febrilibus, *lege* febribus.

—— 22. — 4. *pro* promovenda, *lege* promovendus.